UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana Libri XVI

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

Figura per casum Genitiuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70090

Visual Library

varia ſubinde curſim inferuntur. vt, Primum Amphipolin cepit, deinde Pyduam, mox Potidęam, poſtea Methonem: Exinde ingreſſus in Theſſaliam. Demoſt. 1. olynth.

Exartoſis.

Ἐξάρτησις ſuſpenſio. Annumeratur etiam à nõnullis inter figuras, quæ fit, vbi figuræ figuris implexæ ſunt, ſicut annuli in catena, vnde plena, grandis, & ſuauis decurrit oratio, quod in Cicerone, & Demoſthene paſſim occurrit. Hermog. lib. 1. de formis.

Excitatio.

Ἔγερσις quoties languentem auditoris animum, aut tædio affectum excitamus. vt,

Non mihi ſi lingua centum, oraque centum
Ferrea vox. Scalig. lib. 3. poët.

Expeditio.

Appellatur ratiocinatio à partium enumeratione volubilis, & ſibi inſtans, de qua inferius.

Exutheniſmus.

Iul. Ruf. p. 23. Figura hæc fit, cum rem aliquam extenuamus, & contemptam facimus. vt apud Lucilium. At magnum fecit, quod verbis Græca latinis miſcuit. Apud Tullium pro Cecinna, Ieci ego te armatis hominibus, non deieci, vt tantum facinus, non in æquitate iuris, ſed in vna litera latuiſſe videatur. Item in Philippicarum ſecunda, Nunc quod quærebas quomodo rediſſem: prima luce, non tenebris: Deinde cum calceis, & toga, nullis caligis, nec lacerna. Cato apud Athenienſes, Antiochus epiſtolis bellum gerit, calamo, & atramento militat.

Iul. Rufi. p. 32. FIGVRA per caſum genitiuum. Vt ſi dicamus, conſtans vir animi. Item alia: vt ſe habent iſta;

Iſque amens animi, & rumore accenſus amaro.
Et, *At non infelix animi, Phœniſſa.*
Et, *Actutum pius Aeneas, atque integer aui*
Aſcanius.
Et, *Hic annis grauis, atque animi maturus Alethes.*

Et, ſi quis dicat, pecuniæ diues: vt,
Inſula diues opum.
Et, *Diues equum, diues pictai veſtis, & auri.*
Item, *— quæ illi læta bonorum.*
Et, *Expediuni feſſi rerum.*
Et, *Ille mihi ante oculos felix, functuſque laborum,*
Egregiuſq; animi.

Et ſi qua ſunt talia.

Ibidem. Figura per datiuum. Si quis dicat, timeo illi, pro timeo pro illo, & talia: vt,

— & pariter, comitique, oneríque timentem.
Et, *Tunc decuit metuiſſe tuis.*
Et, *Hæc cum Dardanio AEneæ miranda videntur.*

pro ab AEnea. Et quæ antiquè dicta ſunt.

— cui nomen aſylo Romanum eſt,
Et, *— cui nunc cognomen Iulo*
Additur &, *Cui Romulo cognomen erat.*
Et, *— cui nomen Amello fecere agricolæ.*

Item ſi qua ſunt talia.

P. 34. Figura per accuſatiuum. vt ſi quis dicat, Togam fuſus, profuſam togam habens. vt ſe habent iſta,

— nodoque ſinus collecta fluentes.
Et, *Sciſſa comam.*
Et, *— roſeas laniata genas.*
Et, *— tumiduſque nouo præcordia regno.*
Et, *Inflatum heſterno venas, vt ſemper, Iaccho.*
Et, *Ecce manus iuuenem interea poſt terga reuinctum.*

Et quæ antiquè dicta ſunt,

— forſan, & hæc olim meminiſſe iuuabit.
Et, *— numeros memini ſi verba tenerem:*

pro numerorum memini. Item ſi qua ſunt talia.

Ibidem. Figura per ablatiuum. Si quis de quopiam dicat Magnus virtute, bonus bello, pro in bello. Et, erectus capite incedit. Vt ſe habent iſta.

Purpureis criſtis iuuenes, auroque coruſci.
Et, *Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ.*
Et, *Vnde prius lætum ſiliqua quaſſante legumen.*
Et, *Tereti ſubnectit fibula gemma.*
Et, *quæ forte tapetibus altis*
Extractus.
Et, *Quam tua ne ſpoliata armis, excuſſa magiſtro*
Deficeret.

Item ſi qua ſunt talia.

Ibidem. Figura Græca, aut caſuum varietas. vt,

Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas.
Et, *— placidone etiam pugnabis amori,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN